

*ationum
spec.*

Q. D. B. V.
CONTROVERSIAM RECENTISSIMAM HISTORICAM
AN

CIRCVMCISIO AB AEGYPTI
AD ABRAHAMVM FVERIT
DERIVATA?

A JO. MARSHAMO ANGLO POTISSIMVM,
ET JO. SPENCERO MOTAM,
EXAMINAT,

Oder:

Untersuchung des Saches:
Dass die Beschneidung von denen Egyptiern auf
Abraham gekommen sey?

EAMQUE
BENEVOLO SVPERIORVM CONSENSV
IN ILLVSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI
PRAESIDE
VIRO PLVRIMVM REVERENDO, EXCELLENTISSIM
ET AMPLISSIMO
DOMINO ZACHARIA GRAPIC
PHIL. ET THEOL. DOCT. ILLIVSQVE P. P. ORDIN
VERBIQUE DIVINI MINISTRO,
DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO,
OMNI OBSEQUII CVLTU PROSEQUENDO
A. ET R.

DANIEL JOACHIMVS MAKE,
VVISMAR. S. S. THEOL. ET PHIL. STVD.
IN AUDITORIO MAIORI, HORIS CONSVENTIS
AD DIEM I. NOVEMBR.
PVBLICAE PLACIDAEQUE VENTILATIONI EXPOSIT
EDITIO III.

JENAE, APVD IO. BERNARD. HELLERVUM, 1722.

CHRYSOSTOMUS ALEXANDRINUS
AD ALEXANDRIAM EGYPTI

AD MARSHAMO MARCHAM
ET SPHENICERIO ZOTAM
EXALVANT.

DOMINI LOCUTUS VOBIS
EST IN EGYPTO. ET Dicitur
DOMINI LOCUTUS VOBIS
EST IN EGYPTO.

DILEXIT DOMINI LOCUTUS VOBIS
EST IN EGYPTO.

Quod DEVS Bene Vertat!

P R A E F A T I O.

DE Circumcisionis, in V. T. usitatae, origine variae va-
riorum reperiuntur sententiae. Sunt enim, qui
eam ab ipso Adamo, communi generis humani
parente, derivandam esse censem, utpote *Turca*,
quippe qui, teste *Schreigeri Itiner.* l.2. c.56. ani-
alem quandam, nullisque literarum monumentis innixam tra-
dunt fabulam. *Adamum* nempe in *Paradiso* tempore quodam
ex admiranda corporis sui venusti structura, quam oculis per-
lustraverat, summam percipisse delectationem. At viso libi-
dinis membro, naturaq; ejus considerata, metuisse, ne lascivia
hujus membra eximiæ corporis venustati aliquando maculam
adspargeret haud exiguum. Quare ut huic malo occurreret,
totum membrum confessim abscondendi cepisse corsilium.
Verum *Gabrielem*, à *DEO* missum, propositum ipsius impedi-
visse, addito mandato, ut supremam tantum hujus membra
partem præscinderet. Atque circumcisionem, hac ratione
introductam, in alios postea propagatam fuisse. Vid. *Joh. Lund.*
in dem öffentlichen Gottesdienst der alten Hebräer/ Cap.
71. p. 1374. Sed hæc æque ridicula & lubrica esse, ac illa *Beverlan-*
dii & *J. B. du Helmont* somnia de *Adami congressu libidinoso cum*
Eva, in quo primum ipsius peccatum collocant, non potest latere
illum, qui *S. literas* vel à limine tantum salutavit. Quomodo
enim is, qui in *justitia & sanctitate* veritatis erat creatus, *Eph.*
IV. 14. & in summa qualitatum tam superiorum, quam inferio-
rum harmonia conditus, viribusque omni malo resistendi in-
structus, potuit sibi in statu innocentie de involuntario & ino-
pinato in peccatum lapsu metuere? His *Turcis* adjungendi
sunt nonnulli *Hebrai*, qui statuunt, *Adamum* quidem seipsum
non circumcidisse, sed circumcisum in primæva creatione es-
se productum. Et huic adjungunt 6. alios, qui sine præputio
in lucem editi sunt, ceu reserthoc ex *Jelani medenu* celeberrimi.

mus Buxtorffius in Lex. Talmud. p. 1174. cuius tamen rei nihil se habere in sua editione Job. Christopher Wagenseilius in Excerptis Gemarae not. g. n. 28. Cap. I. in Sota testatur. R. Gedalje in Schalfsch. Hack. p. 6. ex R. Nathani Pirke recenset, numero fuisse 14, quibus haec accidit felicitas, ut sine praeputio nati sint. Fuerunt autem Adam, Seth, Noah, Sem, Melchisedech, Jacob, Joseph, Job, Bleam, Samuel, David, Jeremias, Serubabel. Verum cum hic tantum numerentur 13, Mozen omissum esse, existimat Wagenseilius l. c. Exponit quidem Buxtorffius in Syn. Jud. Cap. IV. p. 112. fieri nonnunquam posse, ut nascantur circumcisi glandem membra reiectam babentes, ac si circumcisus essent, λεπτός εποιούσι. Qui quidem ut ceteri, non circumciduntur, extrahendus tamen ipsis est levissima sanguinis fæderis circumcisionis. Quomodo vero idem de Adamo, aliisq; possint adstruere, sane non video, cum nec vola nec vestigium in antiquissimo S. literarum codice hac de re occurrat, nec ex aliis probatis literarum monumentis id confirmari queat? Ne vero in recensendis de circumcisionis origine opinionibus simus prolixiores, properabimus potius ad eam controversiam, quæ recentiori atate hac de materia in Anglia fuit agitata. Ubi nonnulli asserere conantur, Circumcisionem ex impuro Ægyptiaco cultu suam habere originem, ex eoq; Divino iussu ad Hebræos dimanasse. At cum haec nova sententia gravissimis exposita sit consequentiis, quæ Dei gloriam & majestatem, ceremoniarumq; & institutorum divinorum sanctitatem maxime laudent, opera erit pretium, ut eam pro modulo virium nostrarum examini modeste subjiciamus. Tractabimus autem hanc questionem ita, ut in primo capite Historia hujus controversie representetur, in secundo vera sententia defendatur, in tertio falsa refutetur. Quod dum facimus, à Te, L. B., obnoxie petimus, ut hoc qualcunq; specimen serena adspicias fronte, atq; æqui boniq; consulas: & si alicubi erratum fuerit, nulli dubitamus, quin veniam daturus. Interim Deus T. O. M. nostris cæptis gratia sua benigniss-

gnissima adspiret, & calatum linguamque nostram dirigat, ut
veritatem scribamus, defendamusque. Amen!

CAP. I.

HISTORIAM HVJVS CONTROVERSIÆ
REPRÆSENTANS.

S. I.

Quod historiam hujus controversiae concernit, D. Joh. Mars-
hamus, Anglus, Eques auratus, librum, cui titulus est: Ca-
non Chronicus, Aegyptiacus, Ebraicus, Grecus, & Disquisitiones,
Anno 1672. primum Londini in fol. in lucem prodidit, in quo
non Chronologiam tantum luculenter exponit, verum etiam ri-
tus Aegyptiorum, Hebreorum & Graecorum antiquos, multaq; hi-
storiae antiquitatis reconditissima ex literarum monumentis,
posteriorati commendatis, eruditè enucleat. Non est quidem
hic liber plane contempnendus, cum non vulgarem prodat di-
lignantiam & eruditionem. Verum sententia quædam singu-
lares, quæ nonnisi ex novaturiente profluxisse ingenio viden-
tur, labem quædam huic intulerunt operi. Quare recte de
eo Hermann. Witsius, qui Marshami opinionem sub examen re-
vocavit, in Aegyptiacis Lib. I. Cap. i. p. 1 seq. ita judicat: Ubi in huma-
nis rebus nihil ex omni parte beatum esse solet, ita nec pulcherri-
mo huic operi suos deesse natos videas. Id sibi nobilissimus Autor
suo quodam jure sumxit, veluti animi causa expatietur: Ubi con-
tingit, in eas ipsum opiniones incidere, quæ, ut eruditæ videantur,
non tamen æque pie sunt; neque ad sacratissima religionis nostre
decus honoremque admodum comparata. Huic calculum suum
adjiciunt Lipsiensis, qui in Actis Erud. An. 1684. Mens. Maij. p. 214.
Non sine applausu, inquiunt, à doctis exceptus hic liber est, va-
stam & reconditam, quam ubiq; spirat, eruditionem non immerito
veneratis, sed ita tamen, ut neq; navi pulcherrimi operi passim ad-
spersi, lectorum oculos subterfugerint & quædam nimio novitatis
studio profanius ab Autore, quam par erat, & Christiano forsitan

homine dignam, dicta ac tradita piis mentibus fuerint improba-
ta. Nec hoc is, qui Marshamum Lipsie Anno 1676. in Quarto recu-
dendum curavit, qua ex editione citavi paginas in hac Disputa-
tione oecurrentes, in prefatione huic libro praefixa, subtitet, si-
mulq; de eo caute legendo lectorem admonet. Non dissimulan-
dum, ait, contigisse illustri Viro, quod contingere iis solet, qui supra
vulgus sapiunt, ut novas subinde ac singulares opiniones sectare-
tur, usq; fulcendi S. etiam Scriptura loca quedam in novum sen-
sum inflecteret: Sic fieri solet, ut in scrutinio S. literarum nimis
curiosam adhibendo diligentiam & emungendo textum, san-
gynem quis potius, quam succum exprimat, ut in simili mate-
ria de Coccoeo loquitur Magnif. noster Patronus & Praeceptor
ompi filiali observantia etatem colendus, Dominus D. Fecte.
in Coll. Hist. Eccl. Sec. XVII. §. 23.

§. 2. Summa sententia ipsius eo tendit: Deum, cum popu-
lum suum perfictæ frontis & rituum receptorum tenacissi-
mum ab idolatrico cultu, aliisq;; quibus in Aegypto, illustri la-
la superstitionis schola, adhaeserat, pravis moribus esset revoca-
turus, non omnes ritus, in Aegyptiaco cultu usitatos, abrogasse,
sed multos, quamquam emendatos, velut σύναδετοι tole-
rasse, inq; album suorum sacrorum translusisse. Verba ipsius
hic sunt, quæ leguntur Sec. IX. p. 154. Ex S. literis cognoscimus,
Ebreos diutinos fuisse Aegypti incolas: illos aut mores Aegyptios
non penitus exuisse, sed mansisse aliquas discipline Aegyptiacæ re-
liquias non immorito suspicari possumus. Multæ Mosis leges ex an-
tiquis moribus. Quicquid verum Numinis cultum impediret, stri-
ctè interdictitur. Moses plerosque Aegyptiorum ritus abrogavit,
quosdam immutavit, quosdam permisit, imo jussit. Isbarum re-
rum Aegyptiacarum adiacencia in iis maxime cernitur, que ad
Hebraicas propinæ accedunt. Etp. 189. Aegyptii ut πολιτεία, ita εἰ
religione gentes ceteras precesserunt: eorum ritus ad alios popu-
los translati, etiam ab Hebreis (non sine emendatione forsitan) usur-
pati sunt. Hinc Tempa, Tabernaculum, Festa, Sacrificia, Hirsi
emis-

emissarii & vaccæ rufæ ceremonia, Sabbatum, lotiones crebrae,
aliæq; sacrae Ceremoniae suam habent originem, imo ipsa quo-
que Circumcisio. Ita enim Secul. V. p. 74. de ea loquitur: *Apud
Ægyptios circumcidendi ritus vetustissimus fuit, & an' æxii ab
initio institutus.* Quod deinde probat testimonis Herodoti,
Diodori Siculi, aliorumque.

§. 3. Ab hac Marshami sententia nisi plane stet, ad mini-
mum tamen ab illa non abhorrere creditur Joh. Spencerus, Th.
Doct. Ecclesie Elensis Decanus, & Collegii corporis Christi apud
Cantabrigenses Prefectus. Edidit hic librum in fol. Anno 1685.
Cantabrigie, qui titulum in fronte gerit: *De legibus Hebreorum
ritualibus & eorum rationibus.* Vastum opus est, & Autoris va-
riam profundamq; eruditio nem, ingenium in abdita quæque
penetrare cupidum, acerrimumq; judicium undique spirans,
ceu judicant Lipsiens. in Act. Erud. Anno 1686. p. 113. At easdem
fere, quas Marshami *Canon Chronicus*, in se complectitur hypo-
theses: Deum sc. populum Israeliticum, in Ægypto educatum,
ejusque institutis addictissimum, non repentina aliqua vi, sed
methodis honeste fallacibus & lenti gradibus sub externa ve-
teris specie ad novum cultum perducere studuisse, more Poli-
ticorum, qui axiomatis hujus: *Arcanum novi statu imago anti-
qui, haud dignari, res plane novas sub veteri & antiqua forma in-
troducere solent, cum hæc lenis & quasi insidiosa methodus*
magnam sapientiæ speciem præ se ferat, & ingenii humanis
appime sit accommodata, è contrario vero præceps mutatio
rituum legumque multas pariat rixas motusq; varios. Vid. l. 5.
C. 2. Sect. 4. p. 28 seqq. Vel quemadmodum prudens Pater, cum
filium suum amore meretricis inflammatum & voluptatum
illecebris irretitum videt, uxorem ei longe eximia corporis
specie & decore habitus pretiosa insignem dat, ut hujus amore
captus, fucatam ad blandientis meretricis formam ex animo
abjiciat: Sic Deus mori & ruditati seculi blande & sapienter se
accommodaturus, filii suis, idololatrico Ægyptiorum cultui
de-

deditis, ritus pari magnificentia & splendore instructos suppeditavit, ut meretriciam cultus Ægyptiaci pulchritudinem repudiarent, & iis artibus ad salutem, quibus olim ad perniciem, ducerentur. Vid. l.3. Cap. 8. Sect. 4 p. 80. Non nostrum fert propositum, ut hanc hypothesisin specialiter examinemus; ablegabimus itaq; B.L.ad Clar. Wits. l.3. c. 14. Ægypte. Nos brevem & justam addemus censuram, qua eam notavit Magnif. Dn. D. Fect. in Syllog. Disp. 34. Thes. 7. Profana & impia est Job. Spenceri opinio, Deum ineptos rudesq; Gentilium ritus in leges suas cooptasse, ut eo facilius Israëlite & Gentiles ad veriorem religionē adducerentur.

§. 4. Controversiam de Circumcisionis origine Lib. I. Sect. 4. Cap. 4. p. 27. ita proponit: Magna quidem securitate creditum esse, Abrahamum hujus ritus caput & fontem fuisse, eumq; ab illo præcipue per Israëlis & Keturæ filios ad gentes profanas propagatum. At contrariam sententiam veteribusq; quibusdam, imo Autori cuidam nupero placuisse, Circumcisionem sc. Judaicam proxime quidem à Mose & Patriarchis, remote vero ab Ægyptiis aut Gentilibus paulo antiquioribus (jussu tam divino) profluxisse: Se vero nolle Judicis partes in re tam sacra & perplexa sumere, sed velle argumenta pro utravis parte militantia in medium proferre, ut lectori integrum sit omnina probare, & quod rationi maxime consonum videtur, retinere. Arbitrantur autem Viri, fama & eruditione celebres, Spencerum nihilominus privatim sententiae Marshami hac quoque in parte favisse, cum in Indice rerum & verborum, quæ in primis duobus libris continentur, hæc legantur verba: Israëlite ab Ægyptiis Circumcisionem Deo autore habuerunt. Vid. Jo. Van der Wyen in Dissert. Spenceri de Hirco Azazel excusa §. 228. in Variis Sacris p. 342. Confirmare etiam hanc de ipso suspicione langvor ille, in refutandis argumentis contrariis satis conspicuus, putatur. Quemadmodum solentisti facere, qui privatim opinionem quandam singularem fovent, quam publice profiteri erubescunt, ut argumenta in contrarium partem

tem prolata, quanta possunt virtute instructa proponant, fri-
volas vero & infirmas iisdem adjungant responsiones: Id quod
etiam de Julio Cef. V. anino relatum legimus: Vid. sapius lauda-
tus Dr. D. Fecht. in Comp. Theol. C. 3. §. 22. & coll. privat. Loc. de Deo,
§. 1. Ita quoq; Spencerus hic fecisse creditur, dum adducto Hero-
doti testimonio sic respondeat: *Hunc nodum Montacutii nostri
verbis solvere, vel saltem secare valeamus, quia ea solent secari,*
quæ solvi plane nequeant. Deinde cum allegatam Hieronymi
sententiam: *Omnis Iudeorum ritus originem à gentium rudita-
te traxisse, modeste carpens, hanc reddit rationem satis frigi-
dam: Nam ægre creditur, Circumcisionem, Sabbatum, festum Pa-
schatos huius origini esse tribuenda, opinionem suam satis pro-
dere videtur, quia id, quod ægre creditur, non prorsus sit incre-
dibile & ab omni fide alienum, sed creditur aliquo modo,*
quanquam ægre. Præterea, quia Sabbatum, quod Gentilium
ruditati tribuendum esse h. l. non vult, eum tamen in finem da-
tum esse, expresse dicit, l. 1. Sect. XI. C. 4. p. 63 seq. *Ut Deus institu-
ta sua seculi mori & rudirati (qualicuit) accommodaret:* Ideo de
circumcisione quoq; ipse alium, quam quem verbis exprimat,
sensus habere censetur.

CAP. II.

VERAM SENTENTIAM SISTENS ET PROBANS.

§. I.

Voces in Titulo occurrentes erunt facillimæ, & quemad-
modum putaverimus, à quovis lectore primo statim in-
tuitu intelligentur. Hinc circa earundem onomatologiam
hac vice prolix non erimus, sed tempus spatiumque lucratu-
ri, nos statim ad statum controversiæ accingemus.

§. 2. Quoad statum vero hunc controversiæ notamus, non
quæri hic (1.) de Idolatria & superstitione, ex Ægyptiaco cultu
ab Hebreis hausta, quam Deus nunquam approbavit, sed deci-
cūcidendi ritu. (2.) Non de circumcisione impropria, auris, oris
& cordis, nec quæ sit in arboribus, de qua vid. Pirke R. Elieſier

C. 29. p. 65. edit. Vorstii conf. & Raymund. Pug. Fid. Part. 3. Disp. 3.
C. i. p. 784. edit. Lipsiens. Spanhem. in Dub. Evang. Part. 2. p. 558.
sed propria & corporali. (3.) Non de toto actu sacramentali,
qui apud Gentiles, cum eorum circumcisio verbo divino &
promissione, gratiam sanctificantem conferente, fuerit desti-
tuta, exulavit, sed de sola tantum praeputii præcisione. (4.)
Non, utrum post institutionem divinam apud Gentiles fuerit in
usu, sed an fuerit ab initio ante tempora Abramia ab Aegyptiis
usurpata, ab hisq; ad Abrahamum, Hebreos & ad alias gentes de-
rivata. His presuppositis, jam dico: *Circumcisio non ab Aegy-
ptiis ad Abrahamum aliasque gentes est derivata, sed cum Abra-
hamo primum capit.*

§. 3. Probatur nostra sententia (1) ex Institutione circumci-
sionis, ab ipso Deo facta Gen. XVII. 10. Exponitur hic novum alio-
quod & plane singulare feedus, quod DEUS cum Abrahamo
eiusq; posteris a. o. mundi 2048. secundum Schraderi Tab. Chron.
& ætatis Abrami 99. init. ut nempe omnis mas die g. cir-
cumcidetur. Non est, ut pluribus hoc dictum deducamus,
cum otium hic nobis fecerint B. D. Seb. Schmid. in Tract. de Cir-
cumcis. p. 166. & B. M. Christian. Lokerwitz/ tribus Disp. Philolog.
Witteberge habitis anno 79. de Circumcisione Iudeorum, aliisque.
Nullam vero Deus habuit causam, cur hunc circumcidendrum
ab Aegyptiis mutuaretur. Nec enim Abrahamus, fidelissi-
mus DEI servus, terricas Aegyptiorum nanias tanta imbibiterat
cupiditate, ut ab hisdem abduci plane non potuerit, nisi DEUS
hujus ceremoniae induxit ipsi velificaretur, id quod de Hebreis
sequioris ævi asserunt Marshamus & Spencerus. Verum cum
solius Dei voluntatem & nutzenum diligentissime semper sit secu-
tus, non nisi divino mandato induci potuit, ut circumcisio-
nem, non ex corrupto cultus Aegyptiaci fonte, sed divina sapientia
pena profluentem, in se susciperet. Conf. & hic contra
Marshamum Sam. Basnage in Exerc. Historico-Critic. p. 19. Re-
gesit è contrario Marshamus p. 75., ex hoc loco non probari,

Abra-

Abrahamum primum hominum fuisse circumcisum, proinde
Originem fallum dixisse existimat, qui Celsus ita respondit. Verba
ipsius hæc sunt : De circumcisionis origine objecerat Celsus : Ju-
deos, ἀπὸ Αρυνθίου ἀπὸ ἐλλήνθεν, eam ab Ægyptiis mutuatos
fuisse. Respondit Origenes, Mosen dixisse, ἡγιετημέθει περιτον
ἐν τῷ θεώποις τῷ Αβραὰμ, Abrahamum primum mortalium cir-
cumcisum fuisse. Quod tamen in lib. Gen. c. 17. non legitur. Et
Spencerus, distingvendum esse autem inter circumcisionem,
quatenus est fæderis divini signum, qua ratione eam à Deo ha-
bere originem, vi adducti loci concedit, & quatenus est stigma
corporeum, puritatis species, fecunditatis medium aut morbi an-
tidotum, & hac ratione ab Ægyptiis esse arbitratur. Quemad-
modum & Iris fuit ante Diluvium, & tamen post illud à Deo in
fæderis signum posita? Vérum respondeatur (a.) distingvendo
inter id, quod legitur *narratō* τῷ πρῶτῳ, & *narratō* τῷ διάβολῳ. Quan-
quam non expressis verbis extet, Abrahamum τοπόντον ἐν τοῖς Αἰ-
γύπτοις præputii amputationem sustinuisse, tamen id bona
consequentialia fluit exinde, quod Deus Abraham ipsiusque poste-
ris circumcisionem mandaverit. Jam vero ne probabile qui-
dem est, Deum sanctissimum ex impuro Ægyptiorum cultu
ritus in suam introduxisse Ecclesiam, id quod infrequentibus §§.
pluribus confirmabimus. (β.) Adhuc est in questione, utrum
circumcisio sub hac posteriori ratione apud Ægyptiacam
gentem ante Abrahāmi tempora viguerit. Quod cum firmissi-
mis non probatum fuerit argumentis, non est, ut nude hoc
tantum asseratur. Quin (γ.) fidem superat, Ægyptios, quan-
quam sapientissimos & eruditissimos, in hunc tamen finem
plane frustaneum excoigitasse circumcisionem, ut ea insignem
corpori inferret puritatem, fecunditatem promoveret, mor-
bosque depelleret. Etenim an circumcisioni per circumcisionem
quoad corporis puritatem præputiatis fuerint priores? an
fecundiores? an lepra non infecti? an circumcisioni sanitatem
conservavit integrum? Quis hoc crederet? cum nullo id pro-
betur

betur firmo argumento. (d.) Ab Iride, tanquam re naturali nec à Gentilibus commaculata, ad ritus ab Ægyptiis excogitatos, in eorumq; sacris usurpatos N. V. C. Ad ritus vero, in cultu suo usitatos, illos quoq; circumcisionē retulisse, ex eo liquet, quia nemini, nisi admissa prius circumcisione, ad Mysticam suam Philosophiam aditum concederunt. Unde & Pythagoras, nonnisi ab ipsis Sacerdotibus circumcisus, ad eam penetrare potuit. Quod neque Spencerus p. 20. l. 1. neq; Marshamus p. 74. negant, statuentes, Circumcisionē fuisse initiationis ceremoniam. Verum utrumne Deus hanc initiationis ceremoniā, si ab iis fuisse inventa & in cultu ipsorū corrupto adhibita, salva sua sapientia & sanctitate ab illis potuerit mutuari, postea videbimus.

§. 4. Christus Servator generis humani nos magis magisque in nostra confirmat sententia, dum initium circumcisionis non Ægyptius, sed Patribus adscribendum esse, docet Job. VII. 22. Μωϋῆς δέδωκεν ψυχὴν τὴν ἀρετοῦντν, ἐχὲτι ἐν τῷ Μωϋῆως ἐστι, ἀλλὰ ἐν τῷ πατέρεων. Dicitur ibi Moses nobis dedisse circumcisionem, non quidem duxisse, s. ex propria autoritate, sed tanquam intermissionis Dei, quemadmodum etiam alias vocem didicere, de Ministerio Mosis in promulgatione legis divinæ usurpatam, invenimus Job. I. 17 VII. 19. Deinde non opponitur h. l. circumcisione, quæ est ex Mose, ei, quæ est ex Patribus, ut Spencerus putat, qui ideo distinguit inter circumcisionem Abramiticam & Mosai-
cam. Vid. Magnif. Dn. D. Fecht. Syll. Disp. thes. 4. Disp. 36. Sed tandem insinuatur circumcisionis prima institutio, & ejus repetitio à Mose in Scripturam relata. Hinc dicitur ἐν τῷ πατέρεων, quæ tamen particula non causalitatem, ac si Patres eam ex propria autoritate invenissent, sed tantum initium indicat, quod nempe circumcisione initium suum sumserit à Patribus de cuius particula usu, vid. B. Glass. in Philol. S. p. 790. Credibile est, Christianum h. l. non reticuisse, si initium circumcisionis altius potuisse repeti, quia alias excipiendi dedisset ansam.

§. 5. Probatur (II.) ex Sapientia & Sanctitate divina, ab omni im-

impuritate abhorrente, cui plane non est consentaneum, ut
ceremonia, in Diaboli honorem excoxitata, variisq; supersti-
tionibus commaculata, in verum vivi Deum cultum admit-
tantur. Num enim Deus, qui est inexhaustus divina sapientia
fons, tanta laboravit consiliorum penuria, ut divini foederis si-
gillum ex intimis idolatriæ visceribus petere debuerit? an is,
à cuius nutu & imperio omnia pendent, non potuit propria
invenire instituta, quæ populo suo traderet? an potuit, salva sua
sanctitate, id, quod ex corrupto Ethnicorum cultu profluxit,
imo Dæmonis ingenio suam debet originem, in suum trans-
ferre cultum? Quid? quod ex sacris literarum monumentis
passim appetat, summo semper odio Deum Gentilium ritus
esse persecutum. Non semel enim prohibuit, ne Israëlitæ fœ-
dus cum Ethnicis pangerent, neq; ex sacris ipsorum aliquid ad-
sciscerent, neque mores eorum illa in re æmularentur, *Lev.*
XVIII, 2.3.4. Quin eorum aras jussit destrui, statuas confringi,
lucos succudi, sculptilia comburi, ne quædam profani cultus
incitamenta maneret reliqua, *Deut. VII, 2. seqq. Deut. XII, 30. 31.*
Et quidni abhorret ab eorum institutis, cum sedis superstitionis labo ubique fuerint adpersa. *Quod adeo verum est, ut*
nec ipse Spencerus in dubium id revocare audeat *I. 2. c. 4. In sa-*
ero codice, inquietus, sepe cautum est, ne Israëlitæ ad Aegypti semi-
tas defleterent ne in Aegyptum descenderent, neque ita quicquam
commerciis cum Aegyptiis intercederet: inde vero facile colligen-
dum, nihil Aegypti moribus & institutis corruptius, & a vera sa-
pientia remotius fuisse vel seculis illis antiquissimis. Hæc cum ita
sint, quis crederet, Deum, qui omnem impuritatem detesta-
tur, tantam ex ritibus, in Aegyptiorum cultu usitatis, percepisse
delectationem, ut eos & sacris suis insereret. Excipit vero ad
hoc de Sanctitate divina desumptum argumentum Spencerus
*I. 3. C. 12. Diff. I. p. m. hujusmodi ratinunculus è decoro & a quo desum-
ptis, frustra pugnare quenquam; & deinde Deum non omnes*
gentium usus receptos ritus inhibuisse, sed idololatricos & crassio-

res tantum. Sed Resp. (a.) Non frustra pugnare quiequam argumentis, ex attributorum natura de promptis, inde patet, qui qui destruit attributa divina, ipsum Deum tollit, cum attributa Dei ab essentia divina non realiter, sed conceptu nostro differant. (b.) Deum non tantum ritus Gentilium idololatricos & crassiores, sed & subtiliores & eos, qui in se sunt indifferentes, prohibuisse, nec ipse Spencerus diffidetur l. 2. Sect. 4. c. 2. p. 218. seqq. Dum enim inquirit in rationem, cur Deus adiaphora, e. g. ne quis extremitatem barbae dissecaret, bædum in lacte matris conqueret, aut capitinis pilos in orbena tondere, prohibuerit, nullam subesse aliam pronunciat, quam quia & apud Ethnicos obtinebant, & cultus profani speciem gerebant?

§. 6. Addimus his (III.) & illud: Quia alias Deus Diabolum imitari videretur, adeoq; in merito Simia ipsius (absit blasphemia verbis) possit dici. Quis vero Christianorum de Deo nostro id vellet cogitare, Diabolum contra esse Dei simiam, palam est, si quidem hic nullo non avo id egit, ut divinam corrumperet veritatem. Hoc autem non melius potuit efficere, quam si ritus divinos ad suos quoq; transferret cultores, eosque varia superstitione depravaret. Hinc Tertullianus de Pres. c. 40. Diaboli sunt partes invertendi veritatem: ipsas quoque res sacramentorum divinorum in Idolorum Mysteriis emulatur: tingit & ipse quoq; dam utique credentes & fideles suos, Deum vero esse Diaboli simiam, nemo nisi mente captus dicet.

§. 7. Probatur (IV.) ex defectu principii, ex quo Gentiles circumcisionem derivare potuerunt, ita ut incircumcisisti opprobiuni ipsi fuerint, quemadmodum statuit Marshamus p. 73. Nec enim eam haurire potuerunt ex ratione, cum hæc non ceremonia, sed moralia complectatur, neq; ea, quæ à libera Numinis voluntate dependent, sed quæ ad legem, ipsi nature & insitam, pertinent, præcipiat. Jam vero cui libet, circumcisionem non ad legem naturalem, sed ceremonialē pertinere, consideranti, ad oculum patet, eam rationis ope haud posse inveneri. Ex quo enim

enim argumento lumen naturae circumcisionem probabit? ex quo argumento legis naturae Aegyptii scire potuerunt, *incircumcisum esse opprobrium*. Quid? quod natura, in se considerata, circumcisionem paradoxam esse censet, cum ea ab omni partium obscenarum, quas ipsa occultavit, denudatione abhorreat. Audiamus illud Eloquentiae Romanæ lumen, *Ciceronem*, hac de re ex natura ductu ita differentem l. i. c. 35. de offic. Principio corporis nostri magnam naturam ipsa videtur habuisse rationem; que formam nostram, reliquam figuram, in qua esset species honestas, eam posuit in promptu: que autem partes corporis, ad naturam necessitatem datae, ad speculum essent deformati babiture atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturam diligenter fabricam imitata est hominum perecundia. Que enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removentes ab oculis ipsique necessitatibus dant operam, ut quam occultissime parentur: quarum partium corporis usus sunt necessarii, eas negantes, neque earum usus suis nominibus appellant, quodque facere non turpe est, modo occulte, id dicere obscenum est. Si igitur recta ratione aliena nuditatis conspectum adeo vetat, multo minus eo deveniet, ut membra hujus mandet circumcisionem. Est quem in finem mandet istam? an ideo, ne homines sordibus polluantur? sed quid circumcisione ad absulgendas sordes juvatur? an eum in finem, ut Numen supremum hocce ritu, tanquam externo obedientiae signo colatur? Minime: non enim natura, Deus non ad hominum, sed sui ipsius voluntatem colendum esse, cum nec terrenus Dominus ad servi, sed suum velit honorari beneplacitum. Præterea cum nulla sit proportio inter Deum, tanquam Spiritum infinitum, & circumcisionem, tanquam ritum externum & corporalem, Numen potius puramente, quam ejusmodi ritu colendum esse. Vid. D. Jo. Andr. Schmid. *Theol. Nat. posit. Part. 3. §. 6. p. 137.* Tantum ergo abest, ut natura hanc circumcisionem excogitet, ut potius eam tanquam paradoxam traducat. Deinde nec ex traditione gens Aegyptiaca

V

SI

I

ptiaca circumcisionem ante tempora Abrahami ad se potuit derivare. Nam traditio ista pervenisset aut à Judæis, aut à Gentilibus aliis, sed non à Judæis, quia isti ante Abrahamum circumcisionem non habuerunt, nec ab aliis gentilibus, quia hi alias ex natura gam percepissent, quod vero impossibile esse, jam evicimus.

§. 8. Probatur (V.) ex eo, quia Philistei, quippe qui ex Caslachis sive Colchis, hi vero ex Aegyptiis procreatiduntur, Gen. X. 12. 13. circumcisionis fuerunt expertes. Unde in sacris appellitantur עֲרָבִים Jud. XIV. 3. & David Regi Saul 100. præputia Philistorum obtulit, 1. Sam. XVIII. 27. Jam vero si ab initio, circumcisionem Aegypti habuissent in usu, utiq; in Caslachos, & hi in Philistos propagassent, quia quælibet gens paternos ritus non tantum liberis suis commendare, sed & in posteros aliosq; populos transplantare omnibus intendit viribus. Id vero cum hic non fuerit factum, maxime credibile est, circumcisionem ante tempora Abrahami in Aegypto non fuisse usurpatam.

§. 9. Probatur (VI.) ex fine minus principali circumcisionis, qui erat, ut ea populum Israëliticum ab iis, qui ζέοντας διαθήκων της Ἐπαγγελίας erant, discerneret. Pertinet enim ea quoq; ad legem Mosaicam, quæ ab Apostolo Paulo Ephes. II. 4. dicitur μεστότοιχον τὸ Φρεγγύον, quo Israëlitæ custodiebantur, & à Gentibus separabantur. Unde filii Jacobi sororem suam præputiato nuptui dare noluerunt. Indicat & hoc Josephus, quando circumcisionis, à Deo mandata, hanc suppeditat causam I. 1. Antiquit. c. 11. Quia sc. solebat genus Abram cum aliis gentibus permisieri, ideoque corporalib; hac nota insigniri ac discerni voluit. Huic suffragatur Hieronymus in ep. ad Gal. c. 5. p. 172. Quia ex semine ejus (Abrahami) erat Christus oriundus, in quo universarum Gentium fuerat benedictio re promissa: & ab Abraham usq; ad Christum multa erant secula transiura, providens Deus, ne foibles dilecti Abram & ceteris nationibus miscerentur: & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israëliticum quodam circumcisionis

cas-

cauterio denotavit, ut viventes inter Aegyptios, inter Assyrios, Babylonios atque Chaldaeos hoc signaculo distinguenterentur. Verum quis crederet, DEUM hanc notam, qua loboles Abrahami à Gentilibus esset discernenda, ab Aegyptiis esse mutuam? num tunc propositum sibi haecem discernendi populum Israëliticum ab aliis obtinuisse Deus? Tantum aberat, ut, desumptis ex Aegyptiaco cultu ritibus, Deus ab Aegyptiis alisq; gentibus Hebraeos separaret, ut potius animos eorum conjungeret, iisq; ad varias superstitiones ansam suppeditaret. Nam quid magis connectit, quam similitudo rituum, cum similis, ut vulgo dicitur, gaudeat simili. Habet morum similitudo, inquit Spencerus l. 2. p. 225. ἐλαύνωντες. Et homines ritibus communibus conciliati, affectu & consuetudine facile conjuguntur.

§. 10. Addimus his deniq; (VII.) Consensum Antiquitatis, cum nemo ex antiquis absurdam hanc habuerit sententiam. Quin contrarium potius facile ex Patribus antiquis probari queat. Sic enim Theodoret. Quest. 3. in Exod. Unde confitat, quod Aegyptii temporibus illis nondum circumcidabantur: possea vero Hebreos imitati circumcisionis legem amplexi sunt. Venerabilis Beda in quest. sup. Gen. Tom. 8 p. 199. edit. Basili. anno 1563. ita: Jam tunc propter peregrinationem inter gentes datur ei (Abrahamo) circumcisione in signum. Nec tacendus hic est locus ille Hieronymi, qui plane egregius est, quemq; jam supra citavimus §. 9. Quid? quod plane hoc dogma Marshami & Spenceri jam suo tempore Cyrus cont. Julian. L. 10. p. 354. inter nefandas Juliani Apostatae opiniones retulerit, scribens l. c. Julianum dixisse, Circumcisio nem apud Aegyptios diversatos didicisse Abramum, Isaacum & Jacobum. Conf. Van der Weyen in Variis Sacris p. 329. f. 99.

CAP. III.

FALSAM SENTENTIAM REFUTANS.

S. I.

Thesi nostra firmis stabilita argumentis, Adversariorum quoq; objectiones, quibus Circumcisioem ab Aegyptiis ad

C

He-

Hebreos dimanasse, probare conantur, in medium producemus & examinabimus. Objicitur autem

(1.) Herodoti autoritas, qui in Euterpe testatur l. 2. c. 104. "Οριστονοπαίλων αὐθεόπων Κόλχαι ή Ἀργεττοῖς, η' Αἰθίοπες τε εἰστέων τοις ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φυλίκες δὲ η' Σεξιοῖ, οἱ ἐν τῇ Παλαιστηνή οὐτοὶ οὐσούσιοι παῖς Ἀργυρῶν μεμαθμέναι, &c. Soli omnium hominum Colchi & Aegyptii & Ethiopiae à principio pudenda circumcidunt: Phoenices vero & Syri in Palæstina consententur ipsi, se hoc ab Aegyptiis didicisse. De Aegyptiis aut & Aethiopibus dicere non possum, utri ab utris dicerint. Per Syros aut in Palæstina intelligit Judæos, quod ostendit Marshamus Secl. X. p. 235. Resp.

(2.) Autoritati Herodoti majorem & infallibilem opponimus autoritatem Viri επονειουσοῦ, Mōsis, qui & rerum veritate & antiquitate alios Scriptores, ipsum etiam Herodotum, Historiorum Græcorum vetustissimum, longe excedit. Hic vero, Deum Abrahamo primum mandasse circumcisionem, commemorat Gen. XVII. 10. uti iam supra pluribus hoc dedimus probatum § 3. Cap. 2. (3.) Notum est, Herodoti libros multis vanis & inanibus fabulis esse referitos. Hinc Cicero Patrem quidem historiae eum vocat l. 1. de leg. sed notam hanc addit, innumerabiles apud eundem esse fabulas. Quemadmodum vero in aliis, ita potissimum in sacris Aegyptiorum exponendis multa scripsit, quæ si dem omnino excedunt. Comprobatisd suo testimoniō Diodorus l. 1. p. 63. "Οσα μὲν δν. Ηρόδοτος, καὶ τινὲς τῶν τὰς Ἀργυρίων περιτταῖς συνταξαντενοὶ ἐξεδιάστη ἡ συνεγένεσιν, ἐκτοῖς τε περιγενεστῆς τῆς αληθείας το ταραχούσαντον, ωδὴς τε γένεται φυχαγγυίας ἔνεα ταχητούσεν. Νοσ αὐτεν, quæ Herodotus, & nonnulli rerum Aegyptiarum Scriptores portenta narrationum pro veritate amplexi, & voluptatis gratia fabulas commenti, deblaterrarunt, missa faciemus. Et quid mirum, multa eum retulisse falsa, cum talia ab Aegyptiis, qui gloriæ inhiantes, sacra sua aliasque res gestas nimium exulerunt, hauserit. Demonstrat hoc Jac. Capellus Hisp. Sac. & Exot. anno 3421. Aegyptii mendaces & vani

vani Herodotio, saper eorum originibus ac rebus gestis consilenti,
multa vera dissimilarent, multa falsa adspicerent. Quod deinde
de multis evincit exemplis, Vid. Van der Weyen in Dissert. Spenc.
de hirco Azaze extensa §. 676. in Var. Sacr. p. 527. Quæcum ita
sint, qua ratione Marshamius & Spencerus ad hunc Herodotum,
tantis seculis à temporibus, de quibus disputamus, remotum,
multavana loquentein, & ab Ægyptiorum Sacerdotibus, gloriæ
umbram captantibus, hac in re informatum, provocare au-
dient? (γ.) Colchos circumcisionem αἰρεῖς non habuisse in u-
su, jam supra §. 8. Cap. præc. diximus ex ea ratione, quia Philistai
ex iis orti, circumcisione caruerunt, cum tamen parentes mo-
res & ritus suos receptos in liberos soleant transfundere. Non
gravabor hic adducere testimonium Bocharti, qui in Phaleg l. 4.
c. 30. addit Herodotus, ait, circumcisionem tam fuisse in more apud
Colchos quam apud Ægyptios & Æthiopes, neque id ex recenti in-
stituto sed αἰρεῖς ab initio. Cujus locutionis vis vel ex Scriptura
nota, que dicit Satanam mendacem fuisse αἰρεῖς i. e. Στίψ ab
ipso mundi primordio. Absit tamen, ut Ægyptios credamus jam
cepisse circumcisionem, tum ex Ægypto in Colchidem Casluchi mi-
grarunt. Jam ex Abrahamo ad Arabes, & ex Arabibus ad Ægyptios
manavit circumcisionis ritus. At Caslucheos & Caphtoreos ex Æ-
gypto migrasse, factum est ante Abrahami tempora quia ex his or-
ti Philistai jam tum pulsis Ayeis Palestina potiebantur, & reges
suos habebant, cum quibus sedis contraxerunt Abraham & Iacob
Gen. XX. & XXVI. Et hoc ipsum, quod Philistai non circumcisione-
bantur, docet, circumcisioni ritum nondum fuisse in usu inter
Caslucheos & Caphtoreos, quo tempore ex iis excesserunt Philistai.
Sed credibile est, Colchos, qui Ægyptii generis se esse non ignora-
bant, ut expresse habet Herodotus, aliquot post migrationem se-
culis receperit hunc ritum Ægyptiorum emulatione, ut hac in parte
patrissent. Vid. supra cit. Van der Weyen §. 177 p. 324. (δ.) Pro-
ducit testes, qui tamen nullibi suis comparent testimonii. Φοι-
νικος, ait, γ. Σύγεισι δὲ τῇ Παλαιστίνῃ καὶ ἀνθρώποις οὐας' Αιγυ-
πτιοι

πτιῶν μεμαθηκέντων. Verum contrarium potius Phœnices pronunciant, dum ad Saturnum referunt circumcisionem suam, ut Sanchoniathonis suis scribit Philo Biblius, homo Phœnix & rerum saecularium Herodoto longe consultior, judice Huetio Demonstr. Evang. Prop. IV. C. XI. p. 264. Et Judæi nihil minus, quam confitentur, se circumcisionem ab Aegyptiis accepisse. (s.) Ex Herodoto nihil certi potest elici, quia ipse dubius hæret, utrum circumcisione aper' ἀρχῆς fuerit apud Aegyptios, an vero apud Aethiopes. Confer. & de hoc loco Herodoti omnino Hugo Grotius de Verit. Chriſt. relig. I. t. §. 16. in Annot. Z. 3. & Sam. Basnag. in Exerc. hist. Crit. p. 118.

§ 2. Objicitur (2.) ejusdem Herodotii testimonium I. 2. c. 91. Illi (sc. Aegyptiis) nullorum aliorum hominum institutis usi volunt. Resp. (a.) Hoc argumento non probari, Aegyptios etiam Patriarcharum temporibus ab aliorum institutis abhorruisse. Quadece, tanquam sibi haud satis cognita, nihil potest referre Herodotus, nisi quod habet ex aliorum relatione. (b.) Contrarium liquet ex eo, quod Josephus ad regiam dignitatem elevatus, Aegyptios mores & instituta sua docuerit. Ps. CV. 22. (γ.) Ritus etiam quam plurimopopulum Aegyptiacum à Judæis recepisse, evincit Van der Weyen in cit. Dissert. passim, Sam. Basnag. in Exercit. hist. Crit. p. 669, sqq. Huet. prop. 4. C. 6. Demonstr. Evang. Herm. Wits. in Aegypt. I. 3. aliisque.

§. 3. Objicitur (3.) Diodori Siculi dictum, quod legitur, I. I. p. 17. b. Διὸς ἡ πατρῷος γένεσι τέτοις ἐν ταλαιπώρῳ αἰαράδεδόθα τὸ περιτείνειν τες γεννωμένες ταῦτας εξ Ἀργύρης μετενεγείας τοῦ νομοῦ. Ideoq[ue] gentibus iſis (Judeis & Colchis) in uſu esse per antiquam traditionem, ut circumcidant pueros, apud se natos, ritu ab Aegyptiis derivato. Resp. (a.) Non video, cur adeo credendum in Ethniciis Scriptoribus, qui vix cognoscere potuerunt, qua ratione res aliqua priscis temporibus suam ceperit originem. Cumq[ue] hi cognitionem suam ex Aegyptiis, eruditioſis fama tum temporis notissimis, haurirent, eorumq[ue] antiquitates multo

multo prius, quam Hebræorum, pervolutarent, factum est, ut, *Ægyptios eorum, quos apud eos usu receptos esse legebant, rituum autores quoq; esse, existimarent, & si quid iis haud dissimile in Hebræorum cultu invenirent, id ab Ægyptiis ad eos dimanasse sibi persuaderent.* (β.) *Ipsé Diodorus ingenue confitetur, ne se ipsum quidem ea, quæ de rebus Ægyptiacis ante bellum Trojanum literis consignavit, pro certis habere l. i. p. 9.* Quare *Jac. Salianus in Annalib. Eccl. V. T. p. 238. Nugatur, ait, Diodorus Siculus, & sua ipsius confessione pugnare scribit, cum ait, Iudeos ritu, ab Ægyptiis derivato, pueros apud se natos circumcidere.*

§. 4. Objicitur (4.) *Josephi silentium, qui alias verba Herodoti adducta refutasset, si à veritate fuissent aliena.* Marsham verba hæc sunt : *Josephus cont. Apion. p. 1047 c. ad citatum Herodoti locum, hoc adjicit : Τὸν δὲ τὴν παλαιότην νεωνερῶν πόνον τέτοιοςτοις Ἰσδαιοῖ. Eorum qui Palæstinam habitant, soli (circumciduntur) Iudei.* *De ritus origine nihil objicit.* Resp. Non opus erat, ut de circumcisionis origine hic iterum aliquid exponeret, quia alias à scopo aberraret; præterea etiam mentem suam hac de materia explicaverat dicendo : *Προστάχε τὸ αὐτὸν γένος βελόνευ τοῖς ἄλλοις μὴ συμφερουσον περιτενεῖσα τὰ κεῖδα.* *Jussit Deus genus ipsum, quod nolebat cum aliis permixtum pudenda circumcidit.* Quid clarius? Irritus autem fuisset hic finis, si circumcisione jam ab aliis fuisset usurpata.

§. 5. Objicitur (5) *indictum Scriptura, quia Jer. IX. 25. 26. Ægyptis inter gentes circumcisas primum adscribit locum, nullam ob aliam rationem, quam quia circumcidendi mos antiquior fuit apud Ægyptios, quam apud cæteros, imo ipsos Iudeos.* Resp. Negando consequentiam. Si enim hæc major proposicio : *Quicunq; inter gentes circumcisas primum obtinent locum, apud eos circumcidendi mos fuit antiquior, quam apud reliquos, qui postponuntur, firmo stat tali, possum subsumere: Atqui Colchi inter gentes circumcisas primum obtinent locum, quod*

pater ex Herodoti testimonio, § 1. hujus capitinis allegato, ubi Colchi reliquis, imo Aegyptiis præponuntur, Ergo apud Colchos circumcidendi mos fuit antiquior, quam apud ipsos Aegyptios. Quam conclusionem utrum Spencerus & Marsamus velint suam facere, dubito. Quid? quod nec ipsa Scriptura semper hunc ordinem servare soleat. Cum gentes sœpe sine ordine collocet. Quod omnino & h. l. factum fuit. (2.) Nos contrarium potius ex hoc ipso loco Jer. probamus. Sic enim expresse dicitur, *omnes gentes esse prepuciatas*, & notanter additur in Hebræo *l. emphaticum*, quo indicatur, de his ipsis modo recensitis gentibus esse sermonem, inter quas etiam Aegyptii recensentur. Hinc & hunc locum probationibus nostris palmariis, capite præcedente adductis, annumerandum esse omnino censemus.

§. 6. Objicitur (6.) quod non possit determinari tempus, quo Circumcisio ab Hebreis ad Aegyptios dimanaverit. Resp. (a.) Non sequitur: Non potest ostendi tempus, quo aliquid factum est, Ergo plane non est factum. *An negatione enim determinatio- nis temporis ad rem ipsam negandam N. V. C.* Nec potest ostendi tempus, (cetero Magnif. Dn. D. Fecht. in Coll. privatiss. Loc. de Bapt. §. 1.) quo immerlio infantum, recens natorum, in aquam, in Veteri Ecclesia usurpata, in plerisq; locis desistit; & tamen desisse eam, ex praxi hodierna manifestum est. (b.) De Circumcisio- nis ad Aegyptios dimanatione variae sunt Autorum opiniones. *Ahi enim eam ad illos dimanasse putant ab Ismaelitis*, ut Hegdeger. tom. 2 Hist. Patriarch Exerc. 7. n. 18. Conf. Byneus. Dissert. de circumcisione Christi apud Tenzel. in den Monathl. Una terredungen anno 90. p. 1090. *Alii tempore Salomonis*, ut Bonfrenius, vid. vander Weyen l. c. p. 336. §. 21. 4. Sam. vero Basnagiis in Exerc. Histor. Crit. p. 120. perflavissimum sibi habet, circumcisionem per Josephum ad Aegyptios fuisse derivatam. Cui etiam aliquo modo assensum præbet Herm. Wits. in Aegypt. l. 3. c. 6. p. 227. ubi hunc circumcisionis processum ponit: *Primus eam à Deo accedit abrahamus. Ab Abrahamo per Ismaelem accepérunt Ara- bes*

bes & Aethiopes fortassis: Per Cethure filios alia, quæ ab iis ortæ sunt, nationes. Per Isaacum Edomitæ, Esavi posteritas, & Israëlite: Aegyptii unde habeant, asseveranter non vult dicere: ali i Arabes hic laudant: ali de Israëlitis opinantur, quod verosimilius videatur partim ex Ps. CV. 20. 21. 22. partim ex conjunctione cum Sacerdotali Aegyptiorum familia, ex quo uxore induxit Josephus. Ab Aegyptiis Colchi habent: à vetustis Arabibus & Ismaëlitis Saraceni, à Saracenis Turca. Confer adhuc de hac materia Polyd. Vergil. de rer. Juventut. l. 4. c. 3. p. 300. seqq. Hugo Grotius de verit. relig. Christian. l. 1. §. 16. Annot. Z. 3. Montactius in Orig. Eccl. P. 1. t. 1. p. 54. sg. Gataker. Advers. Miscellan. c. 42. §. 417. seqq. Gomar in Op. th. tom. 15. p. 1. p. 253. Et Morin. in Exercit. p. 4. seqq. Dn. D. Dicemann. in Disp. Inaugur. de Natural. Bodini p. 45. Cum quibus omnino & nos statuimus, Aegyptios hunc ritum accepisse à Judeis. Quo autore autem & quo tempore, asserere non possumus, cum nihil certi in antiquitate consignatum reperiamus. Autoritatem Patrum quorundam, in primis Chrysostomi & Athanasii, quam Adversarii nobis objiciunt, quod attinet, tum partim eidem autoritas Patrum, præcedente capite adducta, opponitur, partim etiam eandem satis jam contra Spencerum vindicat Jo. Van der Weyen in Var. Sac. p. 339. seqq.

Possemus quidem hic plura in medium producere argumenta adversariorum, verum cum non sint adeo magni momenti, missa faciemus ea. DEO interim pro concessis viribus sit laus, honor, & gloria in seculo-
rum secula. Amen.



Ad

Ad
NOBILISSIMVM AC CLARISSIMVM
DN. RESPONDENTEM,
Compellatio
PRÆSIDIS.


Sic Clarissime DN. MAKE insignes animi tui dotes non
spectoris cancellis latent; sed potius in famæ optimæ
theatro collocatas Eruditis omnibus non sine applau-
su exponis, præsens nimirum Schediasma Historicum
dum publicæ Eruditorum censuræ solita cum modestia sub-
mittis, quodque proprio marte ex toto, certe non sine judicio
sublimi conscripsisti. Ex quo nonnisi magna à Te aliquando
speranda polliceri nobis possimus. Ecquis propterea non
in amorem tui tradetur? præsertim cum etiam cum scientia
pietatem junxeris, probatosque mores, sine quibus alias scire
nostrum scientiæ deliquium & umbra, qui si desint, deest Co-
lesso basis, ædificio fundamentum. Grātulor Tibi Amice
optime, quem ob egregium hocce scientiæ & pietatis oscu-
lum amo maxime, de toto pectorē. Vergant hæc, ita & o-
mnia alia conamina tua, quæ Orbis eruditus sibi à Te promit-
tit, in Summi Numinis gloriam, Ecclesiæ ac Reip. literariæ
emolumentum, Tuorumque omnium gaudium ac orna-
mentum. Vale. Scribebam prolixiori affectu quam
calamo ex Museo d. XXX. Octobr.

Anno M.DC.XCIX.

•OS (o) SC•

3d 1299





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.
CONTROVERSIA RECENTISSIMAM HISTORICAM
AN

CIRCVMCISIO AB ÆGYPTI AD ABRAHAMVM FVERIT DERIVATA?

A JO. MARSHAMO ANGLO POTISSIMVM,
ET JO. SPENCERO MOTAM,
EXAMINAT,

Oder:

Untersuchung des Satzes:
Das die Beschneidung von denen Egyptiern auf Abraham gekommen sey?

EAMQUE
BENEVOLO SUPERIORVM CONSENSU
IN ILLVSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI
PRAESIDE
VIRO PLVRIMVM REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
ET AMPLISSIMO

DOMINO ZACHARIA GRAPIC
PHIL. ET THEOL. DOCT. ILLIVSQUE P. P. ORDIN
VERBIQUE DIVINI MINISTRO,
DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO,
OMNI OBSEQUII CVLTU PROSEQUENDO

A. ET R.

DANIEL JOACHIMVS MAKE;

VVISMAR. S. S. THEOL. ET PHIL. STVD.
IN AUDITORIO MAIORI, HORIS CONSVENTIS

AD DIEM I. NOVEMBR.

PUBLICAE PLACIDAEQUE VENTILATIONI EXPOSIT
EDITIO III.

J. ENAE, APVD IO. BERNARD. HELLERVUM, 1722.

